



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

De officii divini Uniformitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

milites, illa omnia, quæ S. Rom. Ecclesia omnium Ecclesiarum mater & magistra statuit, nec non ea, quæ tam in hoc Concilio, quàm in aliis œcumenicis statuta sunt, quibuscunque fidelibus sedulo commendent, omniq; diligentia utantur ut illis omnibus, & iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus & jejunia vel etiã quæ faciunt ad pietatem augendam : ut dierum festorum devota & religiosa celebratio: admonentes populos crebro, obedire præpositis, quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient: qui verò contemnunt, Deum ipsum ultorem sentient.

DE OFFICII DIVINI UNIFORMITATE.

IN Ecclesia omnia honestè & secundum ordinem fiant: Lex est divina. Ordo autem potissimum con-

servatur, si utrobique officium divinum fiat juxta Missale, Breviarium, Agendaque Trevirensia: idcirco etsi Pastor pro sua privata devotione Breviario Rom. utatur, nihilominus Trevirensi oportebit eum esse instructum, cum in rubricis quò ad officium divinum, anticipationem, aut translationem quorundam festorum & jejunii dierum nonnunquam habeatur instructio specialis, quarum rubricarum neglectu, aut ignorantia, difformes praxes inter dioeceseos nostræ parochias sunt animadversæ. Officium divinum eo tempore, quod parochianis in genere est commodius præsertim diebus dominicis, & festivis accuratè celebretur: hyemali, horâ nonâ, nisi alicubi filiales ita distarent, ut circa eam necdum adesse possent: æstivo horâ octavâ.

Ecc 2

In

In urbibus tamen, & oppidis & quò filiales pagi non conveniunt, tempus consuetum, similiter pro vesperis, catechesi, aut Salve Regina, observabitur.

DE JURIBUS STOLÆ.

IN Concilio Provinciali Treviris sub Archi-Episcopo Joanne de Isenburg prædecessore nostro bonæ mem. anno 1549. celebrato, determinata quidem (extra Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta liberaliter administranda) fuerunt jura stolæ: interim tamen in his five ex ordinatione juxta ruralium decanatum diversas situationes, five ex parochianorum conventionem diversâ, five etiam ex introducta consuetudine difformitatem videmus. Idcirco cujuscunque loci consuetudinem quietam & pacificam observari, nec à Parochis innovari præcipimus, donec à Nobis aut Successoribus nostris aliud desuper determinare consultum & placitum fuerit. Improbamus interim, inhibemus, & cassamus, si absque nostra speciali licentia alicubi à quocunque, etiam tempore Synodi aut visitationis in puncto jurium stolæ quidquam innovetur. Pastores simul commonendo ut circa parochianos, quos quandoque inopiâ premi noverunt benignæ commiserationis, aut in toto, aut pro parte remittendo nullatenus obliviscantur.

DE MINISTRIS ECCLESIAE.

§. I. De Decani Ruralis Officio.

PRæcipuum Decani officium est, parochorum eorundemque Vicariorum, ac ovium sibi, & illis commissarum vitæ, & moribus, conversatione, & doctrinâ suâ superintendere, aliisque invigilare; limites sui Decanatus, templa, cœmeteria, domus parochiales, vineas, agros, an bene sint culti, præsertim etiam scholas perlustrare, de numero juventutis scholasticæ, & quæ emanat à Ludi-Magistris accuratum catalogum exigendo, se informare, de reliquorum subditorum vita inquirere, incorrigibiles, scandalosos, concubinarios, aliosque juxta constitit. Prædecessoris nostri Archi-Episcopi Lotharii piiss. mem. Anno 1622. superioribus denuntiare.

Inventarium sacre suppellectilis de singulis Ecclesiis & jurium, sicut & capellarum, altariumque copiam habeat. Computationes fabrica-